



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus XXII. Uxor.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Unus militum lanceâ latus ejus aperuit.
Joan. 19. 34.

Est & alia Lateris hujus causa. Mulier fuerat prima ductrix peccati, quæ de latere creata est. Sed JESUS, qui venit, ut viris simul, & mulieribus, conferret reconciliationem; aperuit Latus pro mulieribus, ut solveret. S. Cyrill. Jerof. Catech. 13.

Vigilanti verbò Evangelista usus est; ut non diceret, latus ejus percussit, aut vulnavit, aut quid aliud; sed *aperuit*: ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesia manaverunt. S. August. tr. 120. in Joan.

O si fuisset loco lanceæ! exire de Christi Latere noluissem: dixissem enim: hæc requies mea in Sæculum Sæculi; hinc habitabo, quoniam elegi eam. S. Laur. Just. de inc. div. am. cap. 1.

Pretiosum tuum dedisti sanguinem, & accepisti tabernaculum (Ecclesiam) & apertò Latere, quod est theca ejus, quod est reconditum marsupium Divinitatis, arca sanctificationis: & lanceâ, tanquam clave, in arcam injectâ. Injecta autem: non ut qui te improbe gereres; sed qui concederes, ac permitteres: dedisti pretium ex Paterno thesauro. S. Chrysof. in Pf. 14.

Pro nimio amoris sui fervore, voluit lauteâ suum Latus aperiri: ut demonstraret; quòd tradidit tibi cor suum. S. Bonaventura sum. am.

Ideo Latus suum pius, & misericors, aperuit; ut cruor te Vulneris vivificet, calor corporis refocillet, Spiritus cordis, quasi patenti,

& liberò, meatu, aspiret. Guarricus f. 4. in Ram. Palm. Aristoteles lib. de spiratione: summus animæ ardor in cordis principatu consistit. Et lib. de Spiritu: in corde calor vehementissimus.

Novimus moderamen Spiritus S. in prolatione hujus Evangelistæ, ut sic proferret: *unus militum &c.* ut apertò Latere cognoscamus dilectionem cordis usque ad mortem: & ad illum ineffabilem amorem ejus ingrediamur, quò ille processit ad nos. Et accedemus ad cor ejus, cor altum, cor secretum, cor omnia cogitans, cor omnia sciens, cor diligens: & per apertam portam siamus saltè in amoris vehementia cordiformes. Proinde sibi ad negligentiam imputet, qui non ingreditur; si apertum novit introitum. Sim. Cels. l. 13. hinc.

Voluisti, Domine, ut cor tuum lanceâ aperiretur: ut mee contemplationis ingressus mihi facilior fieret: sicut domus, cujus janua patet, incitat ad contemplandam pulchritudinem in se contentam. Stella de amore Medit. 29.

Clericus ille, qui ad Claram Vallem venit, Deo famulari: quia corpus antè delicate habere consueverat, à communi Fratrum panè, & possis, valde abhorruit. Nocte ergo quâdam tristi Christus apparuit, frustum similis panis manu tenens; tunc ei porrigens dixit: comede panem istum. Cùm novitius responderet nequaquam vesci possum pane hordeaceo Christus Vulneris Lateris sui panem illum intinxit, & porrectum comedere jussit. De quo cùm gustasset, factus est sicut mel dulcis in ore ejus. Itaque deinceps & panem arctum, & fabas, & reliqua legumina, magnâ delectatione comedit. Casarius l. 14. c. 80.

TITULUS XXII. UXOR.

§. I.

Bona.

S*erviam tibi.* Gen. 29. 18. Nota: Jacob hac servitute tam longâ, & durâ, more prisco, emit sibi uxorem, tam Liam, quam Rachel. Moris enim fuit apud Græcos, Romanos, & Hebræos; ut viri datò pretiò emerent sibi uxorem. Ità David emit Michol centum præputiis Philistinorum. 1. Reg. 18. 25. Cornelius hinc.

Cùm vidisset Angelum, festinavit, & currit ad virum suum. Judic. 13. 9. Insinuat marito, visum sibi hominem Dei, præclarâ specie, futuræ sobolis ferentem oracula: nec passa sine virò scire vel divinitatis secretum. S. Ambros. ep. 60. apud Bæzat. 1. l. 1. c. 7. §. 19.

Cerva charissima. Prov. 5. 19. id est, illa conjux sit tibi charissima; quæ, sicut cerva serpentes, ita persequitur scortatores. Hugo Card. hinc.

Jussit eum Dominus ejus venundari, & uxorem ejus. Matth. 18. 25. Quorsum, ô Christe, jubes uxorem ejus venundari? quid mulier vetula valebit? quis pro illa aliquid volet pretii dare? Sinè dubiò majoris erant pretii, & æstimationis, olim mulieres; quam jam sint. Gen. 29. 18. Jacob pro Rachae servavit septem annis: nunc autem in Matrimonium collocent, nummos præbent. Diez conc. 1. Dom. 21. Pent.

Sanctificatus est vir infidelis per mulierem Fidelem. 1. Cor. 7. 14. Nihil potentius, muliere bonâ ad instruendum, & informandum, virum, quodcunque voluerit. Neque tam facile magistros, neque amicos, neque principes, patietur; ut conjugem admonentem, & consulentem. Habet enim voluptatem quandam admonitio uxoria; cùm plurimum amet, cui consultit. S. Chrysof. hom. 6. in Joan.

§. 2.

§. II.

Uxor mala.

Quicumque primus fuerit egressus. &c. Judic. 11. 3. Quem potuit cogitare prius occurrentem? conjugem cogitavit. At, quia homo proponit, Deus disposuit. Proposuit Jephthe pejus dare; Deus autem disposuit, ut optimum arriperet: filiam, perdidit, retentâ uxore. Hugo à S. Vict. de Jephthe.

Dabo eam illi, ut fiat ei in scandalum. 1. Reg. 18. 21. Saul valde oderat Davidem; nec semel hactâ confodere nisus est. Verum effectû frustratus aliò vertit animum. Micholem, cujus ingenium noverat, in matrimonium promittit; quo consumat extraneò, vel intestinò, bellò. Naxera in Jos. 15. §. mulier mala supplicium.

Dixit autem illi uxor sua: adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo, & morere. Job. 2. 9. Humiliatus videbatur Job perdita substantiâ suâ, perditis filiis suis; perditis, quæ servabat; perditis, quibus servabat: remansit sine hæreditate; & quod est tristius, sine hærede. Remansit ad solam uxorem; non suam consolatricem, sed diaboli potiùs adiutorium &c. August. in Pl. 30. Ideo solam uxorem supersesse nequissimus diabolus voluit; ut hæc novissimâ uteretur pro Job sed actione, atque animâ ejus subyerfione. Diabolus hanc conservavit, ut ministram suæ iniquitatis: ut hanc haberet pro novissimo Job laqueo: & postquam per omnem rem desperaret, tunc per uxorem justum perderet. Origenes in Job. 1. 2.

Sicut vinea vestimento. &c. Prov. 25. 20. Sicut in ligno vermis; ita perdit virum suum uxor malefica. S. Hieron. l. 1. contra Jovin.

Mulier mala viro peccatori dabitur, ait Scriptura. Et dabitur tanquam amarum antidotum; quod peccatorum malos humores consumat. S. Chrysoft. in Pl. 3.

Qui habet uxorem malam, suorum se peccatorum mercedem accepisse intelligat. S. Chrysoft. apud Antonium in Melissa l. 2. c. 34.

Carolus V. dicebat: nihil pejus quem hosti suo impreari posse; quam uxorem imperiosam. Cornelius in Eccl. 25. 17.

Cum mulierem obstreperam verberibus paulò severius vir castigasset; illa velut ad ictus lethales concidens mortem simulabat. Tum vicino accessito vir simulatè casum questus, eequid mortuâ uxore faciendum sit? cui ille: censeo, inquit, pellem detrahendam; quam optimam esse ferunt in malis mulieribus. Age igitur, tibi illam cedo; tu detrahe. Vix ille cultum acvere, illumque admovere coeperat; cum mortua subito revixit. Malenius l. 2. Argut.

§. III.

Uxor quæ erga virum se habere debeat.

Faciamus ei adiutorium simile sibi. Gen. 2. 18. Caveat mulier lunam imitari: hæc enim, quò longius abest à sole, eò magis con-
Polyanth. Sacra Tom. II

spicua, clariùs emicat, pulchrior apparet. Eadem verò, quantò propius ad solem accedit, tantò fit obscurior, magis abditur, minùs apparet, suam lucem obteggit, & speciem commutat. Pudeat mulierem ita vitam suam instituire, ut à mariti oculis procul abesse gaudeat? propè verò adesse doleat. Fernandus hic.

Serpens decepit me. Gen. 3. 13. Accusata à viro non accusat injuriæ patiens. S. Ambros. de inflit. Virg. c. 4. nec accusata crimen retorfit; sed ipsum accusatorem suam maluit, si posset, absolvere, quam ligare.

Honorabile conjugium inter Isaac, & Rebecca Gen. 24. 67. Isaac Hebr. *rifus* est, Rebecca *patientia*. Clem. Alex. l. 1. pædag. c. 5. Rifus à tolerantia adjuvatur. Ut risum à viro mulier eliciat, patienter agat: risum patientiâ impetrabit. Velloso in Judith 7. Paræn. 25.

Præter te, quæ uxor ejus es. Gen. 39. 9. Si Ægyptia fidelis esset conjux, oculos non injiceret in servum: uxori enim, quæ honestatem amat, nullus vir pulchrior marito videtur. Alvarez Illustr. 97.

Vir Dei venit ad me, habens vultum Angelicum; terribilis nimis. Judic. 13. 6. Si vir Dei, si Angelus est, cur vocat terribilem? Erat conjugata, & marito suo castissimè adidista; ideoque ejus specie contenta vivebat: ut vel angelica forma ei terribilis videretur: sola mariti forma ei affabilis, & placita, videbatur. Idem ibidem.

Venit abigail ad Nabal &c. 1. Reg. 25. 36. Iracundos meliùs corrigimus, si in ipsa irâ commotione declinamus: perturbati enim, quid audiant, ignorant. Unde & Nabal ebrio culpam suam laudabiliter Abigail tacuit, quam, digestò vino, laudabiliter dixit. S. Gregor. & Eucherius, apud Fernandum in Gen. 9. Sect. 4.

Neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri. Joan. 1. 13. Carnem pro femina posuit: quia de costa cum facta esset; Adam dixit, *hoc nunc os ex ossibus meis; & caro de carne mea.* Gen. 2. 22. Posuit ergo caro pro uxore: quomodo aliquando spiritus pro marito: quia ille imperare debet, ista servire. S. August. tr. 2. in Joan. Explicat Sanctus Doctor rixas, & contentiones, quæ dantur inter conjuges; metaphora carnis, & spiritus: quia perpetuum iis dissidium. *Caro concupiscit adversus spiritum &c.* Gal. 5. 17. Sylveira Addit. hic.

§. IV.

Uxor quomodo à marito habenda.

Ullit unam de costis. Gen. 2. 21. Nec de capite, nec de pedibus, viri sumptum est id; unde fieret mulier: nè aut domina, si de capite; aut ancilla, si de pedibus, putaretur. Idè de medio, id est, costâ sumi debuit; ut sociâ intelligeretur. Hugo Card. hic. Non es dominus, sed maritus: non ancillam sortitus es, sed uxorem. Gubernatorem te Deus esse voluit sextis inferioris, non præpotentem. S. Ambr. hex. l. 5. c. 7. D costa viri, non de terra, formata est mulier: ut eam vir plus diligeret. De

Zzz 22

medid

medio autem; non de capite, non de pede: nè domina, vel omnino subiecta putetur; sed socia. Hugo Card. hic. Decuit mulierem ex viro formari: ut vir magis diligeret mulierem, & ei inseparabilius inhaereret; dum cognosceret, eam ex se esse productam. S. Thom. Aqu. 1. p. q. 92. a. 2. Et a. 3. conveniens fuit, mulierem formari de costa viri: ad significandum; quòd inter virum, & mulierem, debet esse socialis conjunctio. Neque enim mulier debet dominari in virum; & ideo non est formata de capite: neque debet à viro despici, tanquam serviliter subiecta; & ideo non est formata de pedibus.

Relinquet homo patrem suum, & matrem; & adhaerebit uxori suae. Gen. 2. 24. Nunc autem homines ulterius progrediuntur: nam pro uxoribus suis viri, non solum patrem, & matrem, sed etiam Deum relinquunt. Diez. conc. 1. D. 2. Epiph.

Viri, diligite uxores. Eph. 5. 25. non hic consistit; sed modum etiam amoris praefinit. At quem? sicut & Christus dilexit Ecclesiam. Et quomodo, quæso, Christus dilexit? ita ut semetipsum pro ea traderet. Itaque, etiamsi mori pro uxore oporteat; nequaquam tergiversaberis. S. Chrysoft. tom. 6. hom. in laudem Maximi, & quales ducendæ uxores.

Viri, diligite uxores vestras, & nolite amari esse ad illas. Coloss. 3. 19.

§ V.

Uxor qualis ducenda.

Puellæ, cui dixerit &c. Gen. 24. 14. Vide sapientiam famuli, quale signum destinet. Non dixit, siquam videro mulis, silentiove, inveni, eunuchorumque agmen post se trahere, & numerosum famulitium; puellam ætate, ac formâ floridâ; eam præparâsti tuo famulo. Sed quid? cui dixerit, *præbe hydriam tuam.* Qui ais bene vir? adeone vilem hero tuo quæris conjugem? Etiam, inquit: missus enim sum, non pecuniolam, aut formosam; sed moribus ingenuis præditam, quærere. Et qui scis, virtute præditam? in dubitatum signum, & maximum: est enim hospitalitatis signum certissimum: proinde mores quærit herorum suorum moribus consimiles. S. Chrysoft. tom. 6. hom. in laudem Maximi.

Si domum empturi, aut mancipium; curiose consideramus, tum venditores, tum priores dominos; ipsorum quoque venalium tam

corporis habitudinem, quam indolem animi. Quanto magis dispiciendum est de futura conjugem. Domum enim, si vitiosa sit, licet de novo vendere; sicut & servum nequam compectum, venditori restituere: uxorem verò semel acceptam non item fas est eis, à quibus acceperis, reddere. Idem ibidem.

Qui divitem duxit uxorem, Dominam sibi magis quæsit, quam conjugem. Cum enim, & absque hoc, mulieres ingenio superbò sint, honorisque cupidò, si opes quoque accesserint, quomodo erunt maritis tolerabiles? Idem ibidem.

Pauperem alere, difficile est; divitem ferre, tormentum. Adde, quoniam nulla est uxoris cecitas; sed, qualiscunque obvenerit, habenda. Si iracunda, si fatua, si deformis, si superba, si fœtida; quodcunque vitium est, post nuptias discimus. Equus, asinus, bos, canis, & vilissima mancipia; vestes quoque, & lebetes, sedile, lignum, calix, & urceolus fidelis, probantur prius; & sic emuntur: Sola uxor non ostenditur; nè antea displiceat, quam ducatur. S. Hieron. l. 1. contra Jovin.

Varia.

Et replevit carnem pro ea. Gen. 2. 21. Quando abstulit Deus costam ab Adamo, subintellige cum carne quoque abstulisse. Quò factò mirum nescio quid indicare voluit Deus omnipotens: nempe ex conjunctione mulieris cum viro in matrimonio aliquid, & non parum soliditatis, constantiæ, & virilis fortitudinis, virum amittere; quasi costâ ereptâ ossæ, pro qua carnis molliem induit: fierique seipso, nescio quomodo, fragiliorem; atque minorem; blanditiis imbutum famineis, atque affectibus: quamlibet id agrè profiteri mari sustineant. Unde & sapientes patres; cum immorigeratos, & indisciplinatos, ac suis præceptis nequaquam obtemperantes, habent filios; optimè eis consulunt, conjugali illos vinculo copulaverint. Lipomanus Ep. apud Fernandium hic.

In plerisque regionibus, secundò die post Pascha, solet mariti uxores suas verberare, & vicissim uxores viros: ut ostendant, sese mutuo debere corrigere. Beletus Rat, div. offic. c. 120.

Merito vir uxorem, non uxor virum, ducere dicitur: quia virum seduxit mala ductrix; ac proinde ducenda potius, quam ductura Stengelius t. 2. judic. div. c. 26.

